

Azarias Sturtz Christophorus Hintze

Oratio Quod Principes Et Status Imperii Romani Contra Imperatorem Romanum Absque Iusta Et Legitima Causa Bellum Gerere Nequeant

Rostochi: Pedanus, 1622

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730899519>

Druck Freier  Zugang



Sturz - Hintz. Vert.
jur. 1622. /a

Oratio

QUOD

PRINCIPES
ET STATUS IMPE-
RII ROMANI CONTRA
IMPERATOREM ROMANUM
ABSQUE JUSTA ET LEGITIMA
CAUSA BELLUM GERERE
NEQUEANT.

Quam

APPROBANTE

Nobilissimo, Excellentissimo, Consultissimo Viro,

DN. AZARIA STURTZ

Juris publici & privati Doctore &
Professore

CHRISTOPHORUS HINTZ

Memelâ Boruffus juris Studiosus in illustri & frequenti
Senatus & civium almæ Academiæ Rostochiensis
præsentia

PUBLICÆ

Pronunciavit in auditori majori hora 9. matutina.

Rostochi

Typis JOACHIMI PEDANI, Anno 1622.

ILLUSTRI, GENEROSIS, STRENUIS,
NOBILITATE, VIRTUTE ET ERUDITIONE
EMINENTISSIMIS VIRIS DUCATUS PRUTENICI
ADMINISTRATORIBUS,

DN. FRIDERICO à DONA L. B.
Præfecto provinciali.

DN. IOANNI TRUCKTZ
Burggrabio.

DN. MARTINO WALLENROHT
Cancellario.

DN. ANDREÆ CREUTZ
Archimarschallo.

NEC NON

Excellentissimo, Consultissimo Viro,


DN. MICHAELI ADERSPACH.


*Dn. Mæcenatibus, Patronis & Fautoribus summa
animi observantia colendis.*

Officiosissimè

Dedicat & offert

CHRISTOPHORUS HINTZ.






Qui cupis exactā belli cognoscere causā
Accipe quam promit noster Apollo
tibi.

Emicat excelso superum Regnator olympo
Et quid agant Reges, quid populusve, notat.
Si benefecerunt, benefactis præmia donat;
Si malefecerunt, & malefacta luunt.
Luciferum quandoq; superbia stulta fefellit
Certando stygias iussus adire domos.
Judæos misera cum servitute teneret
In rubris Pharao durus obibat aquis.
Sacris ex sacra spoliatis vasibus æde
Ipsa ruit Babylon, Balthasar ipse perit.
En quia se gladio Saulus per fodit acuto,
Simplice Rex unctus corde Propheta David.
Icarus ex alto in vastum dilabitur æquor,
Mens humilis superi surgit ad astra poli.
Ni Paris haud Helenam cæco rapuisset amore
Staret adhuc certo cognita Troia loco.
Eripit indignis Regalia sceptrā Tyrannis
Et placidis confert Regibus illa DEUS.

Hebræi,

Hebræi, Græci, miserum populiq; Latini
Interitum vitij accelerare suis.
O Germane pares, paries cum proximus arsit,
Respice, ne poenas seditione feras.
Non ingens prodest numerus, non fortis A-
chilles,
Nec Fortuna juvat, si mala causa fuit.
Improbus ad belli currit certamina miles,
Ille sua miles improbitate cadit.
Historiæ testes, satis experientia testis
Major ut à minimo Cæsa sit hoste manus.
Si causam quæras, in aperto causa videtur,
Impia, crudelis, seditiosa fuit.
Majorem Cæsar, similem Pompeius habere
Noluit, ambo malis interiere modis.
Fabula præteritis est sanguine facta diebus;
Fabula præsentis sanguine facta die.
Mars dira totum furit ambitione per orbem;
Delirant Reges, plectitur at populus.

C. HINTZ.





Uanquam ab origine usque
mundi Auditores, cum pri-
mum dulcis peccandi libido
humanum genus occuparet,
tristia & miserrima tempora,
quæ partim Theologorum par-
tim Politicorum libri nobis
commemorant, semper fuerunt: Tamen inter ea
presenti tempore nullum tristi-
us, miserius ac peri-
culosius extitisse ipsa experientia rerum Magistra
& hodiernus dies attestantur. Si enim statum
Ecclesiasticum perpendamus, quam varia, incerta
ac impia sparguntur de DEO opiniones, quæ rixæ,
quæ hæreses existunt ut quibus aut quid pia mens
credere debeat, nisi divino spiritu excitata illustre-
tur, plane nesciat. Si itidem regimen politicum
consideremus, nunquam profectò in eo talem discor-
diam, talem abusum, talem licentiam & confusio-
nem qualem nunc experimur, progenitam fuisse, cõ-
pertissimum est. Nam ut alia scelera & incom-
moda, quorum in hac ultima mundi fece ubiq; ter-
rarum cuncta sunt plenissima præteream, vix ullus
in toto orbe locus est, qui non sevis & truculentis
B belli-

bellicis expeditionibus nunc ardeat, aut ad ignem
stipulas admoveat.

Intueamur modo omnes in Europa circumja-
centes Monarchias & imperia: Germaniam ni-
mirum, Bobemiam, Hungariam, Poloniam, His-
paniam, Galliam, Italiam, Angliam, Daniam,
Sveciam, Muscoviam, nec non universam A-
siam & Africam ambitu suo continentem Tur-
ciam, & harum provincias innumerabiles, quid
aliud in his præter bellicum canticum auditur? Tan-
ta est sevitia & astutia hominum, tantus tam in-
auditus tumultus, tam dura inusitataq; inclemen-
tia, tantus in generosis Optimatum animis fervor,
tam deniq; incredibilis ac pene infinita rerum o-
mnium pernicies, pestis & corruptela, ut non
mirandum sed timendum sit, ne ingens cæli machi-
na illabatur finemq; implacabili mundo importet.
Quod belli incendium nullibi magis exarsit, quam
in imperio Germanico, ubi licet post varios armo-
rum strepitus, oppugnationes & persecutiones mul-
ta editæ clades acceptaq; victoria non tamen illud
ardere desinit, eò, quod in imperio concordia, fide-
litas & obedientia desiderentur, vindicta vi-
geant, cædes exerceantur, & à quolibet vis & in-
juria perpetrentur. Quis igitur est Auditores,
qui justo dolore non percutiatur, cum audiat & vi-
deat,

deat; Aquilam præstantissimi imperij Romani
quod autoritate, potentia & dignitate sua omni-
bus reliquis dominationibus & regnis longè antecel-
luit, quodq; adhuc pro gloria, salute & eminentia
sua obtinenda strenuè & feliciter dimicat, suis pul-
cherrimis & nitidissimis pennis deplumatum iri
& deperditum. Hoc autem mæstissimo zelo mi-
randum est amicos, proximos, confederatos & fi-
deles optimam Reipub: constitutionem, quam tueri
& defendere fas est, intervertere, quasi satis non
sit externorum hostium & inimicorum, qui nihil
magis cupiunt & in votis habent, quam ut impe-
rium Germanicum de sede sua & throno perturba-
tum dejiciatur, suaq; ipsorum crudelitate & sævi-
tia superetur atq; intereat. Neminemq; in men-
tem revocare Divi Lutheri dictum & præsagium,
qui quoties Germanorum vitia inculpaturus toties
solitus dixisse fertur: In Germaniam nisi melioris
vitæ & morum ratio institueretur, atq; horrenda
ista maleficia, Luxuries & Superbia corrigeren-
tur, Turcas, Hispanos, Russos aliosq; Tyrannos
exsecrandas bestias (quos Deus clementissimè
avertat) eam oppugnatum & devastatum ventu-
ros. Sed quæ hodie pietas colitur? quæ vitæ &
morum ratio instituitur? quæ vitiorum correctio cer-
nitur? cum quilibet suo genio, suæ libidini deditus

gula & abdomini seruiat, superbia inaudita flo-
rescat, plurimumq; à pristina veterum modestia,
reverentia, pietate, fide, amicitia & virtutum
decore hoc peruersum seculum sit mutatum. Si
ergò tunc cum Romana Respub: maximo in flore,
summo in honore ac perpetua veluti pace & quiete
esset Cicero eloquentia parens in hominum improbi-
tatem hisce verbis erupit: O scelera! O tempora!
O mores! Quantò magis nunc cum omnis nequitia
& audacia libera, ipsiq; imperio Germanico ulti-
mum quasi exitium & ruina impendere videatur,
exclamare licebit: O scelera! O tempora! O mo-
res! At ita nunc inter homines est comparatum,
ut turpissima scelera & delicta leuissimus error, hu-
mana imbecillitas, non nunquam heroica virtus exci-
stimentur & laudentur, quod veritatis obsequium,
virtutis studium & vitæ sinceritas efflagitant, cum
ignominia attendatur, eoq; res devenit, ut pietas
& iustitia Reipub: fundamenta & ornamenta
amplius non spectentur, nulla authoritas & obe-
dientia habeatur supremo Magistratui, sed quisq;
contemta & sprete juris observantia sibi fingat o-
mnimodam jurisdictionem, sibi Majestaticam at-
tribuat potestatem, minorq; ut dicitur, verè nunc
esca sit majoris. Hinc injuria existunt & di-
scordia, hinc tumultus oriuntur & bella geruntur,
hinc

hinc innumera calamitates & rerum perversiones
sequuntur, nec verbis opus est ubi verbera miscentur.
Quamvis autem infinitas differendi materias &
novas, quas uberrimè impium ac nefarium hoc se-
culum nunc progenuerit, quis tractare posset, quæ
etiam uberiorem dicendi licentiam & copiam sup-
peditarent; Tamen cum discursum, An Principes
& status imperij Romani contra Imperatorem Ro-
manum sine justa, legitima & necessaria causa
arma suscipere possint huic Tempori accommodatis-
simum, tum vobis Auditores, tum alijs ad quos hu-
jus rei scientia & relationes pervenire solent, ut
scio, gratum & jucundum, mihi verò non inhone-
stum si in eo meditando quod justitia & veritati
convenit, prout sentio, expediam, instituire volui
non ambitionis aut ostentationis cupiditate, quæ
alienissima à quovis hominum abesse debet, sed in-
genij solummodo exercendi & acuendi ac memoria
excolenda gratia. Nec quenquam inveniri au-
tumo, qui hoc meum institutum calumniari, inq̃
malam partem sicut pleriq̃ homines contumeliosè
facere consueverunt, inter quos tamen hic nemi-
nem recensio, interpretari & convertere audeat
aut qui me illustres ac prestantes viros illorumq̃
facta & consilia audaciter reprehendere iniquè
pretendat cum hoc scire velim me nullius in gratiam

Et assentationem, vel solario constituto nec odio,
persuasionem, temeritate ad id instigatum sed verita-
tis amore, virtutis studio Et simplicis discursus pla-
cito compulsus.

Quare Et à vobis Auditores summopere peto
Et obnixè rogo ut vestrum ingenuum candorem,
laudabilem humanitatem Et favorem, quo erga
alios hic uti soletis, mihi quoque largiamini ac per bre-
ve temporis spacium benignas aurium vestrarum
patulas dicenti haud gravatim aperire non dedigne-
mini, gravissimamque questionem le viter Et impe-
ritè explicantem vestra singulari eruditione, candi-
do iudicio, Et solerti prudentia sublevetis ad iu-
tis. Quod si hoc à vobis impetra vero, res ipsa
ut opinor, luculentissime comprobabit, contra
Imperatorem Romanum à proceribus Et sub-
ditis imperio Romano subiectis non modo non
arma esse suscipienda, sed ad ejusdem sanctam Et
Cesaream Majestatem conservandam summa
dirigenda. Nam nulla gens tam barbara
tam ferox, tam nullius iudicij Et rationis compos-
est reperta, quam Natura primæva parens non
instruxerit Et docuerit, ut humanitate, moribus
Et doctrina præditos viros benevolentia Et laude
amplectatur maximè verò Magistratum propter
eximium virtutis splendorem, nobilitatem Et emi-
nentiam in potentia Et dignitate constitutum,
quem

quem **D**eus cœli & terra creator Rex regum &
rerum moderator, crescente hominum multitudine
ac argente necessitate, ut alij ad regnandum alij ad
parendum ordinarentur, certaq; terrarum domi-
nia distribuerentur ineffabili & cœlesti sua provi-
sione in gubernatione populi regni supremo solio col-
locavit, eumq; digno honore atq; obedientia venera-
ri severe demandavit. Et certè Magistratus ve-
rus **D**EI est vicarius & imago, quo nomine passim
in sacris literis celebratur, ut qui illum diligit, **D**EUM
diligat; qui illum veneratur, **D**EUM veneretur;
qui illi obtemperat, **D**E**O** obtemperet: At qui
illum contemnit, **D**EUM contemnat; qui illi resistit,
DE**I** ordinationi repugnet; & qui **D**E**I** ordinatio-
ni repugnat, **D**EUM quoq; ultorem & inimicum
nanciscatur.

Apud Psalmistam; Ego dixi, inquit divina
sapientia, Vos **D**i estis & filij altissimi. Et apud
Salomonem in proverbij: Per me Reges regnant
& legum conditores iusta decernunt. Unde Eth-
nici & gentiles homines, cum certum Magistratus
Authorem ignorarent, admirandam verò & ob-
stupendam ejus Majestatem elucescere comperirèt,
à Fove altissimo & principe Numine eum procrea-
tum naturali ductu finxerunt, in Deorum nume-
rum retulerunt, preciosissimas statuas, trophæa
& mo-

Et monumenta in ipsius laudem Et gloriam erexerunt. Quare etiam Imperatores, Reges Et Principes non sua solum potentia, virtute Et felicitate sed DEI gratia, benedictione Et concessione sese constitutos fatentur ac sanctissimo clementissimoque titulo salutantur. Nec tantum pio Et justo Magistratui obediendum esse, verum etiam impio Et injusto in Pharaone, Saulo Nabuchaddonosore aliisque in Regibus in fidelibus Et Tyrannis, quibus DEUS, regnum Et fortitudinem, imperium Et gloriam abunde largitus est, apparet. Id quod Salvatoris nostri Jesu Christi Et Apostolorum exemplo, qui pessimo Magistratui non tantum vectigal Et obedientiam persolverunt sed vita Et necis potestatem caelitus ei traditam tribuerunt, est comprobatum. Non enim casu aut forte fortuna sed DEI ordinatione Et voluntate, subditorum consilio Et deliberatione ad regni fastigium Magistratus evehitur, non ad otia sectanda sed ad negotia tractanda, non ad dormiendum sed ad vigilandum neque ad voluptates capiendas sed ad labores tolerandos, licet gravissimis rebus peractis languidi corporis Et defessi animi recreandi causa remissio quadam Et relaxatio ab officio hilaritasque ei concedatur. Et ut DEI sit minister, qui curam gerat tam divinarum quam humanarum gerum, non minus animarum quam

quam corporum, ut religio propagetur, iusticia admi-
nistretur, omnium ac singulorum status & digni-
tas illaesa conservetur, nocentes puniantur, innoxij
defendantur & premijs ornentur, tam belli Dux
sit quam pacis princeps, ac ut populi salus, res & uti-
litas quaratur non propria. Quae in legitimo
Rege Diogenes Pythagoricus apud Stobaeum in ser-
mone de regno hisce tribus eleganter explicavit, ut
belli Dux sit, ut Iudex, ut Sacerdos. Ad quod
Plutarchus respiciens scribit, iusticiam esse finem
legis, legem autem officium principis, At princi-
pem esse imaginem DEI omnia recte constituentis
& disponentis. Quis verò tam ignarus, tam iners
& imperitus, qui Romanorum Imperatorem legiti-
mum & à DEO ordinatum Magistratum neget?
Nonne hic supremus & ultimus quatuor in mundo
existentium monarchicorum imperiorum, de quibus
sanctus Propheta dudum vaticinatus est, ille Mo-
narcha, cuius sceptrum & imperium ad finem usq;
& interitum mundi sit permansurum? In quem
olim populus Romanus omne jus suum & potestatem,
quae florentissima, potentissima, gloriosissima tum
inter omnes populos dominabatur liberrimè trans-
fudit; Quem etiam nunc in imperio unanimi con-
sensu, ponderosissimo voto & suffragio Electores
eligunt & decernunt: A quo tum Electores, tum
C Prin-

Principes, tum reliqui status & imperij Vasalli feudi investituram, renovationem & confirmationem petunt: Salvam fore imperij salutem, fidem, obsequium & servitia cum juramento ei promittentes, Dominum suum & Imperatorem agnoscentes, seque subiectissimos illi & humilimos ostendentes.

Hic liquidiſſimus omnium dignitatum, celsitudinum ac potestatum fons est, ex quo omnes reliqui honorum gradus tanquam rivuli scaturiverunt & deducuntur, qui sua claritate & eminentia omnes alias dignitates & prerogativas longè post se relinquit. Nam quod Sol est in cælo, id Imperator in terra: Quod Luna inter Stellas, id Imperator inter gentes: Quod cor in corpore, id Imperator in imperio: Quod oculus in Capite, id Imperator in Repub. Et in imperio quidem tum Principes tum libera civitates Heroicam ac regiam pene potentiam & auctoritatem, majoremque quam ullo alio in regno populi libertatem præse ferunt aliosque in quos jus & potestatem exerceant, sibi subiectos sunt consecuti: Verum qui solus imperij sceptrum atque absolutam potestatem & supremum locum teneat, qui omnes inferiores, neminem superiorem recognoscat, quique possit Reges, Duces, Principes, Episcopos, Comites, Barones, Nobiles creare, Doctorum creandorum & Academiæ erigendarum licentiam concedere

dere, aliaq; multa facere, qua sacra Maje-
stas tanquam propria sibi vendicat, nullus quam
Imperator invenitur, deq; hoc sibi solum gratula-
tur. Nec propterea magnificentia sua & celsitu-
do deminuitur, si ipse quoq; de imperij salute jura-
mentum praestet & fidelitatem, si & ille publicis
conventibus & consilijs intersit, sed hoc refert, quod
omnes Principes & status imperij ipsi juramento
& fide sua sese obstringere debeant, & ad citatio-
nem ejus vocati comparere, is vero soli DEO & im-
perio sit obligatus, atq; solus synodos & comitia
instituere possit. Non enim ita Caesarea Majestas
legibus vult esse soluta, ut & ipsa legibus nolit vive-
re. Novit optimè bonus Imperator, se quoq; im-
perio fidem dedisse, sibi innatam esse conscientiam
& pudorem, ut ea qua juri divino, natura & ho-
nestati repugnent, ea nec facere quidem se posse cre-
dat. Sicut merito Antigoni Asiae Regis dignissi-
ma principe vox decantatur, cui cum assentator qui-
dam dixisset, omnia Regibus licere ac semper licuis-
se, ita quidem barbaris dicebat ille ac Tyrannis.
Quis etiam tam rudis est historiarum, qui ipse
non aliquando legerit aut ab alijs perceperit, Roma-
no imperio omnes orbis populos fuisse subjectos, quo
postea temporis tractu & iniquitate quo vis jure
quavis injuria multi se iterum exemerunt? Alij

potentissimi Reges & Principes latissima regna,
firmissimas provincias, suavisimas terras & orna-
tissimas urbes possident & tenent, in quibus tamen
sapissimè mera nugæ & fabulæ de DEO narrantur,
leges & jura parum justa & honesta traduntur,
multa incondita loca & monstrosa animalia visun-
tur, gentes ut plurimum inhumana, sordida, truces,
timida, insolentes, mendaces, crudeles & infideles
nascantur, in quas Reges pro libidine, pro ty-
rannide jure utuntur, que instar pecudum & ser-
vorum ad nutum Tyrannorum, quicquid illi ju-
bent, exequi & perferre coguntur: Verum in
imperio Germanico, quod lumen & caput omnium
regnorum merito perhibetur, Imperator non tantum
amplissimum imperium, splendidissimos ducatus,
munitissimas regiones, fortissimas arces, nobilissima
territoria, elegantes liberaſq; civitates omni copia-
rum ac divitiarum genere abundantes etiamnum
continet & tuetur, sed in iisdem veram Religio-
nem, Augustanam & Christianam confessionem
defendit, honestissimas leges, saluberrimas consti-
tutiones promulgatas habet, feras sectatur utilissi-
mas, populos regit bellicosissimos, ac toti orbi labore
fortitudine, doctrina, virtute, urbanitate, fide,
sinceritate, constantia notissimos & probatos, qui
nullo servitutis jugo premuntur, sed inastimabili
liber-

libertate dignitateq; pollent. Hunc nisi quis su-
preum Magistratum & Monarcham dicat,
cum nulla scientia & intelligentia imbutum, sed
dementem plane & stolidum dijudicem. Si ve-
rò moribus insueta gentes & barbara, ut in Tur-
cia, Persia, Tartaria, India, Muscovia, alijsq;
in locis indomitis suos Magistratus, à quibus falsis
Deorum cultibus perfoasa educantur, reverenter
colant, eos admirata magnificè extollant & suspi-
ciant, quantò magis ergò Christianos Principes &
populos, qui vera Religione conversos, moribus ex-
cultos & prater cæteros libertate donatos sese glo-
riantur suum Imperatorem benigna DEI voluntate,
populi Romani auctoritate, consonanti Electorum
sententia declaratum Magistratum reverentia
& observantia prosequi decebit. At quam pauci
hodie sunt qui serio Casaream Majestatem honore
amplecti vult, quam multi non modo obsequium
& servitia ipsi recusant, sed arma contra illam
sumere, minas ei inferre, regna illius invadere, di-
tiones devastare, bona auferre non verentur. Hoc-
cine est colere Magistratum? Hoccine est fidem
datam, fidelitatem promissam servare? Siccine
imperij salus & commodum promovetur? Quis
enim affirmare audebit, subditis etiam adversus
Magistratum jus gladij ac belli indicendi potesta-

tem esse concessam? presertim in imperio Germanico tanquam benè constituta: Repub: Ubi legitimus Magistratum ordo, ubi Imperator regnat & dominatur ex plenitudine Majestatis, ubi Electores, ubi Principes, ubi Proceres sunt unius curia Vasalli? ubi lex certa, jus certum est sancitum? At quo jure in imperio belligerare videntur illi, qui jus indicendi bellum, quod solius est Imperatoris, sibi usurpant? Multis in legibus tam civilibus quam canonicis, tam veteribus quam novis constitutionibus ea de re cautum, ut omnia bella, quæ non jussu ac licentia summi principis permittantur, improba ac injusta reportentur, illosq; qui vel contra Imperatorem vel contra Rempub: Romanam mali quid moliantur, reos fieri criminis læsæ Majestatis & perduellionis. Nam cum lege Regia lata omne jus & Majestas populi ad Julium Cæsarem, qui de victis hostibus solus tum victoriam obtinuit, primusq; extitit Imperator, transfret, quæ reliqua vis & potentia penes populum permanere potuit, nisi quæ vicissim illis ab illo esset distributa? Ecquid melius juri & authoritati congruebat, quam ut illi plenaria potestas & imperij sceptrum committeretur, qui non odio, vindicta, superbia, temeritate, audacia, sed modestè, sapienter, clementer, piè, juste, moderate illud gubernaret, illiq; bellica vis trad-

traderetur, qui non illicita ferocitate sine jure, sine
causa, sine necessitate cum ipsius Reipub: detrimen-
to & interitu eam esset ad ministraturus. Quem
enim injuria & insolentia tenent, animus illius non
considerat, quid Justitia meta & equitatis norma
requirunt, id quod bonus Imperator & peritus
Dux prudenter & consultè perpendit, omnia prius
consilio quam armis, ut sapientem comicus monet,
experiens. Bella equidem citò indicari possunt,
sed tardè revocari: Bella facile moventur, sed dif-
ficile componuntur: Bella absentibus dulcia, sed
presentibus amara: Bella hilariter incipiuntur,
sed crudeliter finiuntur: Bella etiam timidi &
ignavi excitare solent, sed fortes tantum & dili-
gentes illud per ducere: In bello multi certare, sed
pauci & cum victore tantum palmam reportare
possunt. Non ergò decet magnanimum Ducem
in martium campum descendere, ambiguamq; for-
tunam & incertos belli eventus experiri ubi domi
& in pace quiescere licet. Quare memorabilis
est Divi Martiani Imperatoris sententia affir-
mantis, Donec in pace vivere liceat, non decere
Principem arma sumere, ac Principi arma esse in-
ducenda, ut patriam defendat, non ut aliena oppu-
gnatum eat. Imperatoriam quoq; aciem non in
armis & ducibus, militum copia & meatu, sed justis
in

in causis consistere Valentiniano Theodosius dicere
solebat secundum Poeta carmen:

Non vis aut numerus, tandem bona
causa triumphat.

Et Christophorus Varsevicius in panegyricis ad
Stephanum Regem Polonorum illa demum bella,
quæ pro aris & focis, pro patria, pro tuendis finibus,
pro conservandis libertatibus geruntur & suscipi-
untur, justa probat. Ad quod Cicero in libro de
Repub: respexisse videtur, qui nullum bellum ab
optima civitate suscipi debere scribit, nisi aut pro fi-
de aut subditorum salute. Atq; si talis ingruat
necessitas, ut jam de regno, de patria, de libertate
periclitetur, priusquam duriora ac pessima quæq;
sint sustinenda, cumq; illi in acie amissi æterna
gloria, virtute & splendore vivere intelligatur, mo-
riendum potius est fortiterq; pugnandum. Quam-
vis autem Casaræ Majestati imprimis Jus bellige-
randi & imperii sceptrum sit commendatum: Ta-
men ad exemplum Regis Persarum, qui in legibus
ferendis, de bellis indicendis, de pace componenda,
aliisque de rebus ad regni gubernaculum spectantibus
deliberandis non omnino pro lubitu & voluntate
sua, sed consilio & consensu suorum septem Mago-
rum prudentum adhibito peragebat: Ita Impera-
tor

tor Romanus suis consiliariis septemviris Electorālibus & reliquis imperij statibus bellicam deliberationem communicare solet, ut eò melius de rebus disceptare possit & sine quibus bellum non geritur, nummos collectare, duces designare, milites conscribere, arma comparare, militiam ordinare, comitatum & ad bellum expediendum necessaria procurare. Non ergò in imperio cuicumq; quod libet, licet, nec quod licet, quemvis facere decet, nec quod quisq; malè fecit, premium & laudem promerebitur. Sed in hoc omnes intentos esse oportet, ut quod honestarum legum ratio jubeat, imperialia decreta statuunt, propria munera efflagitant, populi & imperij salus requirat, expediant, fugiantq; ea, qua sibi non sunt demandata sed interdicta. Si enim in imperio unicuilibet propria vindicta concederetur, inestrenataq; pugnandi libido admitteretur, vah qua jurgia, qua rixae, qua odia orirentur! qua pugna & verbera darentur! nunquam certamina, nunquam bella deessent, ima suprema confunderentur.

Itaq; in aurea bulla Caroli IIII. singulariter receptum est & statutum, ne Principes & status imperij vel inter se, vel cum exteris publicum fœdus contrahant, aut si necessitas commoditasq; quodammodo exposculent, ut fœderis ratio ineunda

D

sit,

fit, in legitimam sui suorumq; defensionem & ad publicam Reipub. pacem protegendam accedente ad hoc Casarea Majestatis consensu & voluntate pacta admittantur. Osi hoc observaretur, fieri non posset, ut tam citò jus gladij ac belli indicendi potestatem quilibet tam arroganter sibi praesumeret! Nemo tam precipitanter in alienam messem falcem immitteret, inq; perniciem & corruptionem ipsius Reipub: ad arma prosiliret. Quin hoc omnes qui in Romana Reipub: vivunt, sciunt & scire debent, quare inventa sint bella, an propterea ut beluarum instar crudelitatem & tyrannidem inter se exercere debeant? Ideonè saluberrima pacis & Religionis constitutio Passaviensis à Divis & sinceris Imperatoribus, nec non optimis imperij statibus in publicis comitijs sancita confirmata, ut quando velent, novas in imperio turbas excitarent? Itane arma permissa, ut contra Casaream Majestatem, contra Magistratus, contra amicos, contra cognatos ijs crudeliter uti liceat? Non ille scopus belli est & pacifica transactionis finis, sed hic, ut externorum hostium & Tyrannorum, inter quos nulla societas, nullum Jus, nullum foedus & amicitia durare potest, vis & iniquitas comprimatur, imperiumq; in firma pace & quiete conservetur. Nam cum in imperio Germanico omnes cives Romani sint

sint effecti, unusq; quasi sit caput & Rector Im-
perator, At omnes reliqui tam Ecclesiastici, quam
seculares, tam Electores, quam Principes, tam
Nobiles, quam Cives & Rustici membra, qui re-
gantur, quæ sanitas? quæ sapientia in proprium ca-
put, in proprium corpus servire? Anne, Audito-
res, stultum, ratione expertem & furiosum plane
putetis eum, qui ipsemet caput suum detruncare,
sanguinem profundere, pectus per fodere, manus al-
ligare, pedes decidere satageret? Quis hoc potius
non intentaret, ut si membrum aliquod vitioso mor-
bo laboraret, priusquam secari illud & uri permit-
teret, sedulam curam & salutarem medicinam ei
adhiberet? Sed quid homines illi comminiscuntur,
qui omni placabili remedio posthabito sine ulla
legum observantia neglecto ordinario juris pro-
cessu solum ad arma prorumpunt, ac ut Poëta
canit:

Jus & jura negant & Numina fallunt,
Nec Jovis imperium nec Phlegethon-
ta timent.

Nihil aliud, quam ut Imperatorem de Majestate
sua dejicere, Reipublicæ statum immutare, Electro-
res autoritate sua privare, Principum animos di-
lacerare, Nobiliam, Civium & Rusticorum vi-

D 2

res

res & nervos debilitare delincentur. Dolendum certè est, ita homines mente esse deceptos, pietatis, juramenti, fidei & obsequij oblitos, ut eos, quibus honore, dilectione atq; omni officiorum genere sunt devincti, odio, ira, invidia, injuria, persecutione infestent. Quorum animi omnino ita affecti sunt, ut non bonitate, aut amore, aut patientia, aut continentia, sed suspitione, æmulatione, superbia, audacia ducantur, eorumq; sua consilia dirigant, non ut pacis & togæ sociæ, sed belli atq; armorum consultores appareant, nec ut Reipub: felicitas & incrementum, sed proprium commodum, ipsiq; imperio exitiosissimum detrimentum videatur acquisitum. Quid enim majus malum & incommodum Reipub: afferre potest, quam intestinum bellum, in quo tam principum quam subditorum, tam subditorum, quam principum vires & potentia enervantur? Quæ res sane externis hostibus plurima n occasione & apertissimam fenestram ostendisse in bellicis rebus gestis deprehenditur, præsertim insensissimo Christiano nomini hosti Turcæ, qui sicut Diabolus animas hominum rugientis instar leonis miris technis & dolis circumvenire: ita etiam ille Christicolorum regna & libertatem mille ac infinitis fallaciis ambire solet, ut eos in miserrimam servitutem redactos suo tyrannico impe-

imperio subiciat. Quis enim tuus animus semper
fuit Turca? qua mens? qua cogitatio? nō ut sanctissi-
mum & pium Christo dicatum cœtum opprimeres
& funditus eradicares? Quid tuus ille districtus
gladius missus nuper ad sacratissimum, Regem Po-
loniæ volebat? cur tot tam innumerabilia millia mili-
tum produxeras? An regno Poloniæ devicto Teu-
tonicum imperium invadere cupiebas? Sed cum
DEI omnipotentia & clementi protectione pessi-
mum tuum propositum expedire non valebas tuæq;
ingentes ac horribiles militum copia à fortissimo
Rege Poloniæ armata manu reprimerentur quam
callidè, quam astute quā sapienter inducias compo-
nere petebas, amicitiam colere promittebas. Quod-
dum obtineres, res tuas interea domi placasti, Polo-
norum militiam magnis sumptibus & laboribus col-
lectam dimissam visisti, tuas vires resumere, magis
magisq; eas corroborare laborasti, ut dormientes mi-
nimeq; armis instructos tua importuna ferocitate
superares? At nisi tu hæc machinatus es cur acies
tua denuo instructa procedere videtur? quid cogi-
tas? quid exoptas? An ut Germanicum imperium
veteri lua tyrannide & inhumanitate oppugnatum
revertaris? Ideo scilicet pacē & inducias cum Impe-
ratore Romano iniisti, ut postquam inimicum
tuum Persarum Regem placasses, Teutonicum im-
perium

perium hostili animo iterum aggrediaris? Vides de-
minutis imperij nervis tibi jam evigilandum esse,
fortissimis heroibus ac bellatoribus propria in acie
prostratis & necatis tibi jam prædam paratam esse
vides? O Christianorum oscitantiam! O securi-
tatem! inter se bella sanguinea plane & impia
gerunt, nec videre volunt, crudelissimum ac nefa-
rium Turcam imminere, optimos verò ac præstan-
tissimos belli Duces & Capitaneos, quorum ope-
ram, prudentiam & fortitudinem adversus crude-
lissimos externos hostes usurpare necesse esset, in
proprijs seditionibus & regionibus trucidari. Hæc
ad Turcicas injurias comprimendas, sicut historia
demonstrant, vix unquam sexaginta millia mili-
tum magna cum mora frigido cum animo in Mar-
tis campum sunt deducta, nunc civili bello atq; in-
testino tumultu excitato, heu quam ingens belli ap-
paratus, quam innumerabilis miles non ad placan-
dam sed ad prorigendam seditionem Euro velocius
undiq; convolavit, ut si ejusmodi militia cohortes
armis animisq; conjunctæ coirent vel Turcam
ipsum longissime propulsare, bona imperio ablata
aquisimo jure restituere & recuperare possent.
Sed hic subsistitur, hic deliberatur, hic tum animi,
tum vires desunt. *At num rogo vos per DEUM*
immortalem, Auditores, audite homines per-
quam

quam sapienter & acutissime differentes: Magis
Turcicam dominationem optandam esse & peten-
dam quam Germanorum Imperatorum admini-
strationem sustinendam, cumque ipso sevirissimo
Turca contra Romanum Imperatorem fœdus con-
trahi, atq; illius opem & auxilium ad hujus interitum
& occasum invocari posse. O intelligentes!
O sapientes! O rerum atq; historiarum peritos!
Evocarunt aliquando nonnulli Italia Principes
Alphonsus II. & Ludovicus Sfortia Dux Me-
diolanensis à Turcia Bajazethem II. in quarendis
occasionibus iisdemq; facile arripiendis omnium
sagacissimum Principem alter contra Gallos, alter
contra Venetos, ut ijs opem & auxilium afferret,
eiq; maris Hadriatici sinus & portus, quos ipse
nunquam accesserat, aperuerunt: Verum non
tantum eo tempore seviriam ipsius & hostilitatem
formidabilem visam fuisse, sed à reliquis quoque
successoribus & prædonibus Turcicis latrocinia,
scelera, interneciones atq; rapinas in hunc usque
diem commissas non satis Nauta & Mercatores
Hispaniam navigantes conqueri possunt, ut qui
antea precario mare illud intrare atq; accedere,
jussi ut amplius cogi & expelli nequeant. Sed
mille artifex Turca animo oculisq; intentus instar
Sirenum, qua prætereuntes blandissima voce ad
canti-

cantilenas suas suaviter alliciunt, quosq; deinde
accedentes & auscultantes devorare dicuntur:
Ita ille magnificis verbis & promissionibus amicitiam
& auxilium pollicetur praestatq;, postea
verò suum imperium ampliari & augeri animad-
vertens quietos socios & confœderatos incipit de-
bellare, ac sibi subjectos reddit. Non dico de Grae-
cia principibus & populis, qui luxuria & Venere
submersi vitam Sardanapali & Heliogabali de-
gentes eo ipso nolentem volentem Turcam incita-
verunt, ut eos imperio, dignitate & vita priva-
ret. Nec commemorero jam magnorum ac multo-
rum Europæ Principum miserabilem interitum
de sancta terra repetenda cum Graecis deliberan-
tium, quibus deinceps inter se dissidentibus, viribus
illorum defessis atq; exhaustis universa Palaestina à
Turca fuit adempta.

Ita Imperator Constantinopolitanus per sum-
mam imprudentiam ab Amurathe primo Turca-
rum principe opem & adstantiam in suum ipsius
interitum & ruinam imploravit. Unde omnes
Turcarum Principes Amurathem secuti quam
plurimas Europæ provincias invaserunt, suasque
effecerunt, ac totum ferme Hungariae regnum
(de quo num etiam inter Ferdinandum II. Im-
peratorem Romanum & Bethlehem Gaborem
Trans-

Transylvania Principem Turca Vasallum alter-
catio fuit) dudum devorassent , nisi divino favente
& auxiliante Numine illustrissima eque ac poten-
tissima domus Austriaca familia illud defendisset.
Ab quis est , Auditores , qui à Turcis superatos ho-
mines Christianos inhumanis cruciatibus & dolo-
ribus torqueri , horrendis supplicijs mactari & occi-
di ignoret ? Aut qui non audiverit , illos qui capti-
vi in Turcia servantur durissima ac miserrima ser-
vitate premi , à spurcissimo quoq; Nebulone vexari
ac insuper maximo atq; insolito tributo onerari ? An
ergò hic citandus est & optandus , qui ipse ultrò &
sponte venire gestit , qui non Rex sed Tyrannus exi-
stere solet & à quo non salus aut libertas sed servitus
& injuria expectanda ? Nemo unquam Turcicum
jugum & barbariem Germanicæ libertati , de qua
nullum dubium est , præferendam esse affirmabit ;
Nemo , inquam , nisi qui Christiani nominis & im-
perij Romani hostis sit infensissimus aut homo deper-
ditus .

Quapropter hoc potius dicendum esse & optan-
dum , omnes pij intellexerunt & precantur , ut im-
perium Germanicum sartum tectum custodiatur ,
Imperator ab injuria defendatur & veneretur ,
Principes concilientur , Duces & milites conserven-
tur , ut si adhuc bellica virtus & pugnandi libido

E exer-

exerceri & vigere debeat, contra externos hostes
contra immaniſſimum Turcam, ejuſq; ſatellites, à
quibus non minimè cavendum eſt quam ab ipſiſſimo
Turca, arma producantur. Eſi verò ab externo
hoſte, Auditores, (utar hic parum amplius veſtra
aſſueta humanitate & benevola attentione propter
rerum copiam uberrimam) nullus terror, nulla
injuria metuenda, cum Turcis, cum cæteris inimi-
cis pacis fœdera, quibus interim, cum veluti teſſeris
hodie ludatur, non omnino eſt fidendum, contracta:
Attamen ſi ſolum Romani imperij detrimentum,
& interitum, vel incommoda illa, qua cœca
nubes ex belli ipſius natura & proprietate oriuntur,
confideraverimus, apparebit, nunquam ad bellum
eſſe declinandum, ſed cum Poeta:

———— Pacem te poſcimus omnes,
exorandum. Eheu qualis trepidatio, quam ſubi-
taneus furor generoſos Principes invadit, dum illi
ad pacem, hi ad bellum inſtigantur & commoven-
tur! En reſident in quiete, nunc dubijs animis ha-
rent & ſpem fronte ſerenant, mox fortitudine eri-
guntur, inq; duas diviſas & contrarias acies diſtra-
huntur. Alij enim propter iuramenti & reve-
rentiæ præſtationem, Alij propter Religionis & pa-
cis deſenſionem, Alij propter fœderis & amicitie
conventionem, Alij propter ſanguinis & vicinita-
tis

tis conjunctionem huic parti magis quam alteri as-
sistendum esse judicant. Quidam cum de litis &
justicia certitudine dubitetur, vis potentior metua-
tur, ac bellici sumtus sibi multum deesse compareat,
in pace vivere & neutrum adjuvare, quam aut
causam alterius fovere, odia atq; incommoda in se
derivare, aut ancipitis belli eventum exspectare
malant. Plurimi autem belli Duces & milites
nihil magis in votis habent, quam ut inceptum bel-
lum magis magisq; incandescat, oleum camino, li-
gnu in incendio addunt, ac turbida ira fervent, ma-
gnifica solaria & premia inde referrri, caedes, rabi-
nas & pessima quaeq; impunè perpetrare licere, glo-
riam suam, fortitudinem & famam simul innote-
scere statuentes, nulla discretione habita piumne sit
an impium justum an injustum, licitum an illicitum,
legitimum an illegitimum, necessarium an inutile
bellum? Nec intestina certamina quae miserando
suo dolore & dolenda miseria omnes hostium clades
vincunt, ubi què majori cum aestu eò majori cum
exitio & periculo Reipub: decertatur, aggredi ve-
rentur.

Doletis, Auditores, excellentissimam & ulti-
mam Monarchiam Romanam lumen gentium, ca-
put totius orbis pessundari & labefactari: Pessun-
dat eam & labefactat crudele ac impium civile bel-
lum.

lum. Doletis optimam imperij ordinationem & tranquillitatem perturbari: Perturbat eas crudele ac impium civile bellum. Doletis Reipub: constitutiones fundamentales, aliasq; leges honestas contemni & eludi: contemnit illas & eludit crudele ac impium civile bellum. Doletis Trinunum Numen, ejusq; salutare verbum non adorari & curari: Non adorat & curat hoc crudele ac impium civile bellum. Doletis etiam tam Principibus, quam Nobilibus, tam Civibus, quam rusticis & fortunam & vitam auferri: Aufert has illis crudele ac impium civile bellum. Deniq; doletis beatissimos & placidos homines non honorari sed vexari: Non honorat illos sed vexat crudele ac impium civile bellum. Nulla profecto pietas, nulla reverentia, nulla fides, nulla obedientia in tanta rerum omnium perturbatione cernitur. Magistratus in suos subditos, subditi in suos Magistratus iram incenduntur, neq; officio, neq; obsequio recte funguntur: Parentes adversus liberos, liberi adversus parentes insurgunt: Maritus uxorem, uxor vicissim maritum relinquit, nec tutus hospes ab hospite, nec ab amico amicus securus: Jam militum it clamor, tubarumq; sonus auditur, hic stringitur ensis, ibi hasta ducitur, illic ignis incenditur, friget virtutum amor, ardet & dominatur vitiorum libido.

Hinc

Hinc templa, hinc Academia, hinc curia, hinc
schola non frequentantur, commercia suspendun-
tur, opificia impediuntur, ingeminant Sacerdotes,
tribulantur Doctores, tristantur Senatores, cives
anguntur & disspescuntur. Alij gladio percutiun-
tur, illi pugnīs, hi fustibus caduntur, isti igne con-
sumuntur, aufugiunt reliqui, multi capiuntur, ne-
cantur, ligantur, submerguntur, venduntur, abdu-
cuntur. Vah sedula matrona & castissima Virgines
vitiantur, tam innocentes quam nocentes, tā paupe-
res quam divites plectuntur, nec infantulorum
est misericordia. O crudelitatem execrandam!
O impietatem abominandam! O tyrannidem
detestandam! Quid? nemini suum tribuitur, fu-
rari solertia, aliena eripere, vendere & perdere
justum piūq; ducitur ut Lucanus canit:

Nulla fides pietasq; viris, qui castra se-
quuntur,
Venalesq; manus, ibi fas ubi maxima
merces.

Splendida aedificia, amplissima theatra & ornamen-
ta civitatum multis annis condita & elaborata, fir-
missima mœnia, arces & vallos perditī milites, qui
ipsi ne casas quidem exstruxerunt, uno die deji-
ciunt, bona alieno labore & sudore longo tempore

E 3

parta

partâ luxuria, ferocia, nequitia brevissimè excedunt.
Ditissima nobilium villa invaduntur, oppida
perlustrantur, annona omnesq; reditus abripiun-
tur, nec vita, nec dignitati, nec familia, nec pau-
pertati pareitur, ut meritò cum Virgilio quis con-
queri possit:

Quippe ubi fas versum atq; nefas, tot
bella per orbem,
Tam multæ scelerum facies, non ullus
aratro
Dignus honos, squalent abductis arva
colonis.

Non audeo proferre ista nefanda atq; horribilia
scelera & opprobria, quibus improbi milites sese
polluere & oblectare feruntur, quæ si scirem & pro-
ferrem, ipse impius in DEUM, blasphemus in Cæ-
sarem, contumeliosus in Principes, in omnes homi-
nes injurius, vobis, Auditores, impudicus ac iners
viderer. Egregiam certè laudem & ampla
spolia reportant, dum terris illis fruuntur, quas
alij excoluerunt: Dum divitias illas & fortunas
possident, quas alij compararunt: Dum vestibus,
catenis, corallis & plumis sese exornant, quas alij
emerunt: Dum suis illecebris & maleficijs indul-
gent, alijs metum & injuriam incutiunt: Dumq;
alios

alios vitiorum multitudine & suppliciorum varietate excruciant, at sibi quoque crucem & maledictionem imminere ac paratam ignorant. Non enim impune abeunt. Ecce gravissima poena in eos est constituta, qui rebelles Imperatori suo supremo Magistratum repugnant, debitam obedientiam recusant, imperij statum & tranquillitatem inquietant. Illos namque, qui vel Imperatoriam Majestatem ledere, vel publicam pacem violare annuntur, crimen laesa Majestatis & perduellionis incurrere, certissimi juris est, ubi talis facta lex, ut deprehensi in tali delicto non modo horrenda mortis poena afficiantur, bona publicentur, sed & memoria tam ipsorum quam eorum qui nomine hoc illorum utuntur, penitus damnetur deleatur; Aut aqua & igni, sine quibus vita sustentari nequit, eis interdicator, ita ut a nomine in fidem & clientelam suscipiantur, amicitia denegetur, quocumque modo licite offendantur, ac in perpetuum exilium proscribantur arbitrariisque poenis plectantur. Quod quamvis durum videatur, attamen justissima causa ac ratione ita constitutum. Quid enim justius, & equitati convenientius, quam ut id malum, quod quisque alijs minatur, ipse sustineat, inque eam foveam incidat, quam alijs ad interitum & lapsum preparavit? Eheu tristissima rebellium

lium exempla si quadam ob oculos ponamus, hoc nobis demonstrabunt. Principio Lucifer purissimus spiritus à DEO factus cœlesti gaudio & felicitate cum alijs sanctis Angelis fruebatur, sed postmodum, cum superbia incensus summo & Trinuni DEO superioritatem invideret, bonis Angelis bellum indicaret, cum cœteris malignis spiritibus cœlo in infernum est detrusus, primus rebellis, impius bellator & Satanus effectus. Eo pessimo consultore ac homicida primi nostri Parentes in constanti firmitate, firma justitia, justa veritate, vera pietate, pia sanctitate, sancta perfectione, perfecta beatitudine, beata perennitate, perenni hilaritate creati, cum & illi DEO Creatori suo similes esse voluissent, in inconstantem firmitatem, infirmam justiciam, injustam veritatem, veram impietatem, impiam sanctitatem, sacram perfectionem, imperfectam beatitudinem, infelicem perennitatem ac perennem tristitiam inciderunt, nec sibi tantum, sed omnibus hominibus & posteris suis acerbissimum luctum, mortem, atq; omnes omnino calamitates adsciverunt, qui nisi per unum DEUM sancti flaminis revelatione Christum mundi Salvatorem vera fide fuerint amplexi, inenarrabilibus doloribus & miserijs aternisq; inferni cruciatibus (sicut omnes quoq; Diaboli) nunquam mori-

morituri mactabuntur. Eadem causa Absolon
patri suo Davidi regnum ademturus capillis in-
quercu pendens mucrone est perfessus. Eadem
causa Clotharij Regis Gallie filius, cum patre vi-
vente ad regni fastigium bellico tumulto aspiraret,
in Britanniam discedere coactus fuit, ubi postmo-
dum captus, ac patri suo remissus una cum uxore
& liberis est combustus. Eadem causa Eggeber-
tus quidam à militibus Henrici IIII. Imperato-
ris, cujus imperium affectabat, miserè occisus.
Eadem causa alius quidam Thomas dictus bis con-
tra Imperatorem suum Michaelem Traulum exer-
citurum produxerat, bis exercitus ipsius repulsus &
prostratus, ipse tandem manibusq; pedibusq; ampu-
tatus condignam pœnam accepit. Eadem causa
Imperator Basilius quindecim millium Bulgarorum
rebellantium oculos, inter quos tamen centenus
quisq; Dux constitutus unum oculum sibi reserva-
bat, dispungi atq; ita ad dominum suum Samue-
lem eos transmitti iussit, quo mœstissimo spectaculo
etiam ille scribitur solitudine periisse. Eadem
quoq; causa Carthago civitas eminentissima & po-
tentissima armis & incendio funditus deleta. Et
Capua profligato Hannibale, Septuaginta senato-
rum interneccione, triginta nobilium captivitate,
eorundem bonorum omnium publicatione, multo-
rum

F

rum

rum civium oppressione & interitu à Romanis imperio subjecta. Plena exemplorum vetustas, plena huius quoq; temporis experientia, quam graviter, quam crudeliter illi, qui legitimo Magistratui sese opposuerunt, coerciti sint & puniti. Et ipsi Bohemi tertia jam vice in causa rebellionis à Regibus suis superati ad subjectionem & obedientiam redacti.

Nam qui libertatem suam liberiore reddere, & privilegia, quæ ab Imperatorum liberalitate, magis & confirmatione, quam propriis meritis & premiis adepti, ea ulterius quam concessa sunt, extendere præsumunt, canem Æsopicum, qui carne amissa umbram arripisse meritò ridetur, imitari videntur non animadvertentes illud quod Poëta canit:

Non minor est virtus quam quærere
parta tueri.

Et, ut Divi Caesaris Augusti verissimum dictum adjiciam: Eos, qui ditiones suas ampliare conantur, aureo sæpissime hamo piscari, exitus ipse semper comprobavit. Quæ enim pietas? quæ fides? quæ conscientia? propter unius atq; alterius hominis avaritiam & superbiam integra regna, tot millia mille hominum, totum deniq; orbem in extremam per-

perniciem & pericula deduci? Ecce inter Polonos
& Turcas hostes potentissimos, qui gravissimum
ac crudelissimum bellum nuperrime gesserunt, in
ipso maximo belli tumultu, horribili militum copia
& armorum murmure omnium opinione celerius
pax quasita fuit, accepta & haecenus confirmata:
At quo jure? qua ratione? qua necessitate? & quo
usq; in imperio Germanico civium Romanorum
discordia & audacia sese extendit? Cum Romæ
adversus Senatū populus rebellaret, atq; extra
urbem congregatus esset, missum illuc ad pacem
petendam Meneninu Agrippam dixisse eum novi-
stis, Auditores: Dissidium aliquando inter ven-
trem & reliquos humani corporis artus ortum fuis-
se, ut artus putarint, ventrem omni cura & labore
vacare, atq; alieno vesci alimento, ac proinde ci-
bum & potum illi denegasse, sed postmodum, cum
artus viderent, ventre languescente & deficiente
non minus & ipsos languescere & deficere, intelli-
gentes per sanguinem à ventre in venas demissum
ac per totū corpus diffusum se quoq; ali & sustentari,
ultro ei alimēta præbuisse officiaq; obtulisse, quo dicto
statim ille populi seditionē justulit & sedavit. Anne
nunc etiam tandem novo Menenio Agrippa opus
esset, qui dissidentes Principum animos componere,
bellicum tumultum longē & satis diu protractum

de medio tollere, pristinum decus & tranquillitatem imperio restituere posset? Quis enim non videt, Imperatore ex tenuato & labefacto, imperium quoque labefieri & extenuari: Quo perturbato, omnia perturbari: Quo intereunte, nec Principes amplius nec Nobiles in imperio futuros? Id quod tristissimo & luctuosissimo suo exemplo illi experti sunt, qui pijs admonitionibus, petitionibus, mandatis & ob oculos versantibus periculis locum relinquere volebant, illumque vincere conabantur, quem ipsimet invictissimum semper nominarunt. Quare ad vos jam, O Principes Germania, & quotquot in ea cives Romani estis, mea oratio sese convertit, Imperatorem vestrum supremum Magistratum & totius orbis Monarcham, quem divina providentia vobis omnibus tum ad sui nominis gloriam promovendam, tum ad Romani imperij salutem & utilitatem procurandam clementissimè præfixit, agnoscite, Agnoscite, quaeso, quem & vos ipsi unanimi voto, concordi sententia & voluntate vestra in sublimi Romanorum Regis & Caesaris solio collocastis, recepistis, comprobastis; Et ad quod ei juramento estis obligati, reverentiam, obsequium, fidem & officia devotè persolvite. Boves pastorem suum cognoscere Deus testis est, Canem sequi venatorem nemo non scit, A-
pes

pes Regem suum custodire, Avesq; alias, quas Regales vocant, insectari videmus: Ac discipulus Praeceptorum, servus Domino, Dominae ancilla, Civis satui, rustius Nobili, Nobilis Principi honorem & obedientiam prestare debent; At qua bruta animalia faciunt, & infirmi quique observare tenentur, quaeq; & vos ab alijs expetitis, eadem summo Magistratui & Imperatori vestro denegabitis? Certè si Imperatoriã Majestatem honorabitis, DEUM honorabitis: Si Imperatoriã Majestatem servabitis, imperium quoq; in quo & vivitis, & ditio- nes vestras bonaq; omnia possidetis, servabitis: Qua contempta, DEUS contemnitur: Qua non salva & infelici, nec imperium salvum & felix, Neq; vos ipsi salvi aut felices unquam esse poteritis. Nam cum imperium Germanicum unum quodammodo corpus sit; Alterum verò membrum alteri officium suum & auxilium communicare necesse, Ac uno aliquo tristitia vel dolore affecto reliqua etiam doleant & tristentur, nonne & vobis, si hoc pie & sincerè credatis salutare & laudabile futurum? Hoc autem ante omnia vos facere oportebit, & in hoc unice vobis erit elaborandum, ut leges & constitutiones imperij fundamentales quam strictissime & comiter observentur, omnis scrupulositas & ambiguitas omittatur, precipue invidia, ambitio,

ira, avaritia, superbia & ferocitas, quibus fortissimi ac sapientissimi quique semper perierunt, plane evitentur, Nec, quod res est, aliena appetantur, sed quod finis est justitia, unicuique suum tribuatur & defendatur: Et qua maxime principes decent, & exornant: Pietatis, justitia, virtutis, concordia, mansuetudinis, sobrietatis, continentia studium crescat & florescat. Non enim alio modo imperij vulnera sanari, Reipub: damna resarciri, populi salus & tranquillitas instaurari possunt, cum fato, nescio, quo misero & calamitoso vel improbo certe & crudeli bellicus hic tumultus extiterit, quam ut ingenii Principum animi componantur & concilientur: Rebelles & qui hisce nefariis ac impijs seditionibus initium dederunt & consilium, si pertinacia factum injustum defendere perseverent, comprimantur puniantur: Reliqui verò veneficis persuasionibus, pestiferis instigationibus & humanis erroribus lapsi excusentur, ac in gratiam rursus recipiantur. Hoc facto nihil externorum hostium mina, nihil Tyrannorum crudelitas, nihil inimicorum terror & potentia contra Germanorum ubique decantatam fortitudinem & constantiam poterunt intentare, nec intestina discordia amplius, seditionesque metuenda. Fatendum equidem est, Imperatoriam Majestatem vehementer esse lesam,

Sam, Principes valdè exagitatos, Nobiles, Cives
ac Rusticos fortunis, divitijs, honoribus & vita
spoliatos & devexatos, totumq; imperium miser-
rimè ac pessimè quassatum, dilaceratum, extenua-
tum, perturbatum: Verum cum accepta clades
præcaveri jam nequeant, damnaq; data patienter
sint perferenda, acquiescere melius esse & tutius
quam dolere; Et quod justissima Dei ira & vo-
luntate, si pœna propter multiplicia hominum pec-
cata videri debeat, quasi meritis malum hoc inferri
& accidere debuerit, omnino putandum. Ergo
invidia, Ergo iracundia & vindicta cives Roma-
ni facecant, præteritarum injuriarum obliviscen-
dum est, ab Imperatore standum, Deus simul
invocandus, ut memor suæ infinitæ gratiæ & mi-
sericordiæ malum hoc avertere, antiquum decus &
authoritatem imperio restituere, requiem & tran-
quillitatem reducere, concordiam plantare, fidem
seminare, omnium ac singulorum status & com-
moda adjuvare, Turcas aliosq; Tyrannos verbi
divini & Christicolorum persecutores iniquissimos
præcipitare, impios ac Diabolicos eorum conatus re-
fellerè, aurcam pacem rem inestimabilem & ad sui
divini Numinis gloriam & ad Germanici imperij
salutem totiusq; Christiani orbis prosperitatem pa-
ternè & benignè reddere velit, utq; piè & justè
hoc

hoc Prudentij carmine (quod omnipotens DEUS
faxit ex intimis animi penetrabilibus precor & ex-
opto) omnibus uti & vivere liceat :

Pax plenum virtutis opus , Pax summa
laborum ,

Pax belli exacti precium est preciumq;
pericli.


Sidera pace vigent , consistunt terrea
pace.

Nil placitum sine pace DEO : Non, mu-
nus ad aram

Cum cupias offerre , probat, si turbida
fratrem

Mens impacati sub pectoris oderit an-
tro.





custodire, Avesq; alias, quas Re-
sectari videmus: Ac discipulus
vobis Dominus, Domina ancilla,
Nobilis Nobili, Nobilis Principi hono-
riam prestare debent; At qua bru-
unt, & infimi quiq; observare te-
nt vos ab alijs expetitis, eadem
ratui & Imperatori vestro denega-
peratoriã Majestatem honorabitis,
is: Si Imperatoriã Majestatem ser-
m quoq; in quo & vivitis, & ditio-
q; omnia possidetis, servabitis: Qua
us contemnitur: Qua non salva
imperium salvum & felix, Neq;
felicis unquam esse poteritis. Nam
Germanicum unum quodammodo
alterum verò membrum alteri offi-
uxilium communicare necesse, Ac
ia vel dolore affecto reliqua etiam
entur, nonnè & vobis, si hoc piè
tis salutare & laudabile futurum?
omnia vos facere oportebit, & in-
erit elaborandum, ut leges & con-
rij fundamentales quam strictissi-
bserverentur, omnis scrupulositas &
tatur, præcipuè invidia, ambitio,
F 3